

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4358

Auteur(s) : Coutances (official)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1280, 26 août

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

L'official de Coutances fait savoir que, devant lui, le prêtre Guillaume Geoffroy, tuteur de ses neveux, fils de Guillaume Dofelin, décédé, de Blainville, a reconnu, en tant que leur tuteur, d'avoir vendu et abandonné à l'abbé et aux chanoines de La Lucerne pour 7 livres tournois un rente annuelle d'un tènement sis à Isneauville de la paroisse de Blainville avec tous droits y appartenant.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CXLIII, p. 127-129.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris et auditoris officialis Constanciensis, sede vacante, salutem in Domino. Noveritis quod in jure presens Constanciis coram nobis Guillelmus Godefredi, presbiter, a nobis datus tutor seu curator Sansoni, Johanni, Petro et Roberto filiis et heredibus Guillelmi Dofelin, defuncti, de Blainvilla, nepotibus ejusdem presbiteri, cum juris sollennitate ab eodem presbitero super hoc adimpleta, presentibus ad hoc dictis heredibus dictisque Sansone et Johanne hec petentibus et consencientibus, recognovit, nomine tutoris seu curatoris dictorum heredum et pro utilitate eorumdem, se vendidisse et concessisse finaliter religiosis viris abbati et conventui de Lucerna, pro septem libris Turonensium super quibus, nomine quo supra, dictus presbiter coram nobis ab eisdem religiosis se tenuit pro pagato, videlicet unum bussellum frumenti ad mensuram Constanciensem, ad festum Beati Michaelis, quatuor panes, quatuor gallinas ad Natale et quatuor solidos Turonensium ad nundinas Montis Martini, annui redditus, ad ipsos heredes pertinentes, cum homagio dicti presbiteri et cum omnibus juribus et escaetis que dictis heredibus poterant accidere vel evenire, tempore futuro, in tenemento quodam sito in parrochia de Blainvilla, apud Ysneauvillam, continente, ut idem presbiter dicebat, quinquaginta acras terre, vel eocirca ; racione cujus tenementi dictis nepotibus idem presbiter dictum redditum reddebat annuatim, ut dicebat, et reddere tenebatur ; et de cetero idem presbiter et heredes sui singulis annis, dictis terminis, eisdem religiosis reddent dictum redditum cum omni jure quod habebant et habere poterant super hoc prefati heredes. Et fuit conventum coram nobis inter dictos religiosos per eorum procuratorem dictumque presbiterum, nomine suo et nomine curatoris dictorum heredum, quod dicti religiosi vel eorum mandatum imperpetuum percipient et habebunt dictum redditum singulis annis, prefatis terminis, ab eodem presbitero et heredibus suis et quod in dicto feodo seu tenemento suam justiciam plenarie poterunt propter hec exercere ; et hec voluit et concessit idem presbiter et se obligavit eisdem religiosis, nominibus quibus supra, et promisit se et heredes suos hec soluturos eisdem religiosis et quod hec omnia premissa dictis religiosis garantizabunt contra omnes et in suo proprio feodo excambiant valore ad valorem competentem et quod ipsos religiosos et eorum monasterium erga quoscumque, super premissis omnibus et singulis, indempnes

penitus observabunt ipse et heredes ejusdem, quos ad hec et omnia bona sua dictis religiosis obligavit, et se facturum et curaturum erga dictos heredes quod premissa omnia rata habeant obligavit se eisdem religiosis dictus presbiter, coram nobis asserens dictum contractum et dictam pecuniam esse conversam in utilitatem eorumdem heredum et in satisfactionem debitorum que debebant, tanquam heredes dicti Guillelmi Dofelin, ex causis legitimis, creditoribus ejusdem, et excepcioni rei non habite, non tradite, doli mali, privilegio crucis indulto vel indulgendo et fori alterius et omni alii exepcioni ac defensionis et privilegio quibuscunque renunciavit expresse, nominibus quibus supra, volens se et heredes suos per nos compelli ad observationem omnium premissorum de premissis omnibus et singulis observandis et tenendis ab eodem presbitero coram nobis dictis religiosis, nominibus quibus supra, prestito juramento ; et in eadem juris instancia presentes coram nobis predicti S. et J., cum auctoritate dicti presbiteri, predicta omnia voluerunt, concesserunt et rata habuerunt, asserentes hec sibi cedere et converti in utilitatem propriam eorumdem, promicentes, cum auctoritate jamdicta, dictis religiosis quod contra predicta vel eorum alterum non venient, sed hec omnia inviolabiliter observabunt, juramentis prestitis super hoc ab eisdem, et nos dictum presbiterum nominibus quibus supra et dictos heredes, cum auctoritate qua prius, ad premissa omnia et singula tenenda, adimplenda et observanda dictis religiosis juxta confessionem, obligationes, voluntates et consensus superius habitos, in hiis scriptis condempnamus, hec omnibus quorum interest tenore presencium sub sigillo Curie Constanciensis significantes una cum sigillis dictorum presbiteri et nepotum ad petitionem partium jamdictarum. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo, die lune post festum Sancti Bartholomei, apostoli, de consensu dictorum presbiteri et nepotum, nominibus et auctoritate quibus supra, et procuratoris dictorum religiosorum coram nobis.